

Nota

ACATHOLICUS NON EST SUBIECTUM VALIDAE AMMISSIONIS IN NOVITIATUM

Canone 448 Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium enumerantur conditiones necessariae in candidato ad vitam monasticam et ad vitam religiosam non monasticam, ut ad novitiatum admitti valeat, et sunt «*recta intentione moveatur, ad vitam religiosam ducendam sit idoneus, nec ullo detineatur impedimento iure statuto*» (can. 448; can. 517).

Has conditiones sequuntur aliqua impedimenta iure ecclesiastico communi statuta, quibus ingressus in novitiatum candidati, aliquo horum impedimento innodati, excluditur. Primo loco inter impedimenta est «1^o-acatholici».

Impedimenta in can. 450 enumerata sunt iuris positivi ecclesiastici, et consequenter afficiunt solum candidatum catholicum, qui, impedimento non existente, valide admitti posset.

Huiusmodi impedimenta non sunt perpetua nec indispensabilia, cum cessare possint vel decursu temporis, e.g. impedimentum aetatis, vel per legitimam dispensationem, quae, etsi impedimentum auferat, conditionem tamen candidati non mutat: impedimento e.g. matrimonii ablato, matrimonium non dissolvitur et uxorati, quin eorum unio evanescat, in novitiatum admitti possunt.

Aatholicus dispensatus (si dispensatio sit possibilis) ab impedimento, non ideo per dispensationem

catholicus fit, sed acatholicus sicut antea remanet. Ideoque haec dispensatio non dat illi capacitatem, ut a superiore religioso in novitiatum admittatur. Novitatus enim, de quo in can. 450 agitur, est novitatus catholicus, ordinatusque ad professionem religiosam in aliquo Instituto religioso catholico, subiecto ergo hierarchiae catholicae. Praeterea, qui Ecclesiam catholicam non agnoscit nec inter eius membra numeratur, nequit status canonici in Ecclesia catholica esse membrum.

In Commissione ad expendendas observationes factas ad Schema canonum anno 1980 praesentatum, proposita fuit abrogatio numeri primi, id est «1^o-non catholici» [in redactione definitiva est «1^o-acatholicis»]. Responsum Commissionis fuit negativum, id est, illa clausula, illud impedimentum permanere debet; ergo christianus baptizatus, sed extra Ecclesiam catholicam degens, impedimento ad validitatem afficitur. Igitur, sine dispensatione admitti valide non potest.

Responsum tamen et motivum ad non abrogandum impedimentum videntur non convincere. Nam Commissio perspicuis verbis declaravit «antequam catholici fiant» non possunt admitti «canonice» ad novitiatum. Motivum ad impedimentum servandum ita ab ipsa Commissione declaratur: «Numerus primus canonis 450, necessarius est modo particulari, ratione claritatis erga possibiles candidatos orthodoxos qui forsan desiderant vivere per aliquod tempus in monasterio catholico, ut de propria vocatione decident, qui quidem non possunt admitti «canonice» ad novitiatum, antequam fiant catholici» (NUNTIA, n. 16, pag. 38).

Ad possibile dubium in non catholico auferendum, recursus ad creandum impedimentum non vide-

tur necessarius, cum ad hoc sufficiat conversatio inter superiorem et non catholicum, qui aliunde hospitalitate in domo religiosa frui potest, ad omne dubium auferendum.

Unde videtur quod numerus primus canonis 450 proprium locum in canone 448 habet, in quo rationes fundamentales et omnino necessariae ad validam ammissionem in novitiatum referuntur: his positis rationibus, superfluum est impedimentum ex non pertinere ad Ecclesiam catholicam ortum. Etenim CIC latinus 1917, can. 542, hoc impedimentum non nominavit; Pii XII, m.p. «Postquam apostolicis litteris» can. 70, clare aiebat «quilibet catholicus»; CIC latinus 1983, can. 643, ubi impedimenta ad novitiatum referuntur, de hoc impedimento ne verbum quidem facit.

Ex dictis videntur quod impedimentum acatholicitatis sit omnino abrogandum.

C. PUJOL, S.J.